

ad *Baumgartnerium τὸν πάλιν*, scripta; non possumus, quin me-  
neamus male, ex typorum errore, aut calami pictura, non affa-  
bre, uti Melanchthon solebat, expressa, hoc nomen esse fictum.  
Quandoquidem fere semper alias ab ipso & amicissimis quibusq;  
in editis Libris atque Epistolis, sua ipsius manu subsignatis, non  
Heilingi sed Helingi vox occurrit. Ad hæc in familiæ posteris  
non alia ratione superest, nisi quod L. simplex in duplex a qui-  
busdam commutatum videas. Porro etiam, in versibus, si non  
semper, rarissime tamen, aliter quam per L. unum, syllaba brevi  
usurpata, adhibetur, & quod notabile, a Poëtis etiam, cum quibus  
intime ac familiarissime vixit. Sed hæc obiter, ne in sanctorum  
numerum temere noster videretur recipiendus. Dignius est  
memoratu, quod, cum ipse tam parcus in enarrandis Islebien-  
sibus fatis fuerit, atque vix semel, & superficialiter quidem, ejus  
mentionem injecerit, probabile sit, Inclyto Senatui ea de re, vel  
parum innotuisse, cum Noribergam veniret, vel quanta fieri po-  
tuit industria, ab ipso Philippo, tanquam innocentem ab omni  
crimine, fuisse purgatum. Atque ita etiam controversiam de Ses-  
sione ad dextram Patris, filii Dei seu Christi τῆ θεογονίας,  
in causa repentini e Lutheri patria abitibus, neutiquam fuisse liquet.  
Quæ vero posthac Noribergæ, ubi suis ille placitis non minori  
constantia inhærebat, hac quoque in parte doctrinæ senserit,  
jam nostrum non est antevertere: ut ut credamus has cum Isle-  
biansibus litigiis disceptationes fuisse perperam commistas.

§. XIII.

Sed, posteaquam Noribergæ primum facta est mentio, O-  
ptimæ alinæque Bonarum artium litterarumque Nutricis, jam  
tandem, quemadmodum ab ea in gremium suum receptus  
sit Helingus, edifferemus. Factum nempe id fuit, quando,  
*Leonhardo Culmanno*, seu remoto a gravissimo Pastoris Sebald.  
munere, seu sponte, uti alicubi asseri videtur, post recusatam  
Formulæ consensus, de Justificatione propositæ, subscriptionem

te